

Jurisprudence

1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive sentence of the College *coram* Agustoni, *Piae voluntatis*, prot. n. 21101/89 CA, January 16, 1993*

Prot. n. 21101/89 CA

N et NN

PIAE VOLUNTATIS

(X – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI.

AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XV, die 16 ianuarii 1993, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis Bernardino Gantin, D.

* The Latin text of this definitive sentence together with the unofficial English translation prepared by William L. Daniel are printed with the permission of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura.

Simone Lourdusamy et Antonio Maria Javierre Ortas necnon Exc.mis ac Rev.mis Gilberto Agustoni, *Ponente*, Ioseph Mercieca, Philippo Giannini, Aemilio Eid, et Iuliano Herranz, in causa N, Piae voluntatis (X - Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae), intervenientibus cl.mis Patronis Aloysio De Luca pro parte recurrente et Iosepho Spinelli pro parte resistente, necnon Rev. Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae ad hunc casum deputato, hanc definitivam tulit Sententiam.

SPECIES FACTI

1. Y, anno 1912 obiit ac testamento legavit summam viginti milia libellarum italicarum Congregationi Caritatis in urbe N, "per istituire nella frazione di Z, in località per quanto sia possibile centrale, un asilo infantile a beneficio dei fanciulli appartenenti ...a Z". Administratores tamen praefatae Congregationis, Ecclesiae infensi, summam heredibus non solverunt quia, uti asserebant, haud sufficebat ad operam complendam.

Tunc vidua testatoris, W, pecuniam suo ex patrimonio attulit “per compiere l’opera del marito e dare esecuzione al suo desiderio”, conferentibus quoque civibus loci v.d. Z, opusque feliciter completum anno 1915 dedicatum est.

Ad vitanda damna ex legibus bonis Ecclesiae adversis, d.na W, die 17 novembris 1917, contractu emptionis-venditionis, uti mos tunc erat, tradidit aedificium Superiorissae generali Congregationis Religiosarum quam P et R condiderant, v.d. “T”. Ab anno 1915 ad annum 1920 vero, munifica d.na W, suadente Episcopo dioecesano, scholam pro puerulis etiam schola laboratoria necnon oratorio ditavit.

Dominium tum scholarum nuper dictarum tum oratorii deinde A et B, Religiosis eiusdem Congregationis translatum est ac denique, per donationem et mortis causa, in Congregationis possessionem venit.

Heredes d.nae W interdum sciscitabantur a Sororibus circa rationes oeconomicas et patrimonium de quo supra.

Anno 1984 Sorores parentibus puerorum scholae nuntiaverunt

se, graves ob circumstantias, scholam relicturas esse. Statim exarserunt animi civium loci Z qui se auxilium allaturos esse proclamaverunt, ne instituta extinguerentur. Ast exeunte mense iunio eiusdem anni Religiosae scholae puerulorum januas definite clausurunt ut uni paroeciae servitio sese dedicarent. Superiorissa generalis Sororum D heredibus instantibus notitias se daturam esse promisit; sed anno insequenti 1985, Sorores aedificium olim scholae ludi puerorum dicatum obtulerunt "K" quod est institutio ad curandos substantiis toxicis adsuetos.

His in adiunctis parochus loci Z declaravit se emptionem aedificiorum intendere ad fines activitatis pastoralis attingendos ac de re Episcopum certiolem fecit.

Exinde instantissimi conatus omnes avertendi Religiosas a suo proposito misere exciderunt. Nam die 16 novembris 1985, incipiente septuagesimo anno a quo d.na W domum Congregationi vendiderat, ipsae pago Z valledixerunt, non reversurae.

2. Heredes autem d.nae W nullo modo acquieverunt, sed Episcopum N. adeuntes, utpote ex iure exsecutionis piarum voluntatum tutorem, petierunt ut bona pristinae destinationi restituerentur; immo ad id obtinendum interventum quoque Magistratus fori civilis invocarunt.

Episcopus, die 9 septembris 1986 querelae heredum respondit: "la volontà dei donatori è stata rispettata anche con gli ultimi sviluppi a favore di un'opera sociale urgente e importante che legittimamente sostituisce il servizio assistenziale nel settore dei fanciulli".

Decreto dato, recursus hierarchicus ad normam iuris institutus est, primo apud ipsum Episcopum, dein, die 13 novembris 1986, apud Congregationem pro Institutis vitae conscratae et Societatibus vitae apostolicae.

Transactis fere duobus annis, quibus durantibus heredes pluresque defensores frequentes ac instantes preces etiam ad Summum Pontificem admoverunt, Dicasterium litteris diei 13 iulii 1989 recursum respuit.

Sero quidem, quia heredes, constituto sibi Patrono, ob diuturnum silentium Congrega-

tionis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, ad N.S.T. iam provocaverant.

3. Cum vero causa petendi, idest "il ripristino immediato dell'originaria destinazione...ed in via subordinata l'accoglimento delle domande rassegnate in subordine nella diffida ad adempiere indirizzata a S.E. Rev.ma il Vescovo" ultra N.S.T. competentiam haberetur, necnon fatalia ad recurrendum jam expirata essent, Exc.mus Secretarius recursum a limine reiecit; attamen novum terminum recurrentibus statuit ad libellum rite confectum exhibendum.

Constituto patrono etiam ab altera parte, omnibus praehabendis praehabitis, die 5 februarii 1991 recursus ad disceptationem coram Em.mis ac Exc.mis Patribus admissus est.

Exinde dubium, die 17 aprilis 1991, rite concordatum est:

"An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum Congre-

gationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 13 iulii 1989”.

Commutatis inter partes scripturis ac responsionibus super votum Promotoris Justitiae deputati alterum, nunc Nobis relato respondendum est dubio.

IN IURE ET IN FACTO

4. Ne disceptatio Nostra in confusiones incidat quae inde ab initio perturbasse causam videntur, opportunum est obiectum concordati dubii recolere, scilicet: “An constet de violatione legis vel in procedendo, vel in decernendo relate ad Decretum Congregationis pro Institutis Vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, diei 13 iulii 1989”. Itaque causa, specie fere ingens, emuncta Nobis revera proponitur decidenda: nam quaestio de legitimatione activa pacifica habetur, nec amplius considerata et prior Instantia cl.mi Patroni partis recurrentis ab Exc.mo Secretario a limine reiecta est, quia citra H.S.T. competentiam prout statuitur tum in can. 1445, par. 2

C.J.C., tum in art. 123 Const. Ap. Pastor bonus, tum in Responso Pont. Commissionis diei 11 januarii 1971, sub II, ad 2. et ad 3. (AAS. 63 [1971], pp. 329-330).

De novo libello igitur tantum est videndum, super quem dubium concordatum est. At idem concinnum dubium quaestionem revera implexam continet, quia in casu deficit certitudo iuridica quam leges latae praestare natae sunt.

Signum difficultatum aliquo modo dant duo Promotoris Justitiae deputati vota "pro rei veritate", in quibus ipse confessus est se mutasse sententiam, fusius explanatis etiam motivis recentioris suae sententiae, priori contraria. Ambigendum tamen non est quod nova conclusio, licet pluribus suffulta argumentis, incerta ac fragilis apparet.

5. Attente enim est considerandus nodus totius quaestionis, quem ipse Promotor Justitiae ap-

prime in altero suo voto espressit, nempe: "Utrum in recursibus hierarchicis parti recurrenti pertineat ius cognoscendi probationes atque rationes a Superiore hierarchico collectas vel quaesitas vel eidem Superiori quoquo modo oblatas, eo fine ut ipse ad iustam decisionem ipsius recursus hierarchici pervenire possit, et quidem hoc ius praecise ex can. 1738 proveniat".

Leges processus iudicialis in hac re clarae prostant; ordinationes e contra recursus administrativi, ob motivis bene notis quae hic recolenda non sunt, truncae ac lacunosae inveniuntur. Non ea propter licet, ad defectus sanandos, singula ex uno ordine ad alium, scilicet ex ordinatione processus iudicialis ad illam administrativam trasferre, quia hae duae viae, quamvis utraque administrationi iustitiae inserviunt, non aequae distantis linea inter se currunt nec vicissim variari possunt.

Caute igitur adhibendum est adsertum iuxta quod ius defensionis concurreret cum iure accedendi ad omnia acta ac docu-

menta recursus decidendi.

Equidem motiva ad illud ius probandum praesto non sunt et laboriosa opera hermeneutica indigent ut in unam potius quam in alteram partem verti valeant.

Sane evolutio historica canonis 1738 dum novus Codex iuris canonici apparabatur, mentem Legislatoris commonstrat diligentem circa ius defensionis: sed est sollicitudo generalis postea determinanda. Suppeditant quoque agumenta ex usurpatione, tum in documentis Sedis Apostolicae, tum in Allocutionibus Summorum Pontificum peritis in re canonica habitis, vocis "advocatus", utpote sedulo meminit Promotor Justitiae deputatus in voto diei 20 augusti 1992 (cfr. ibi nn. 8-9).

Attamen si Legislator, dum condebat can. 1738, ministerium advocati stricto sensu - seu "technico" uti aiunt auctores - etiam in instituendis ac prosequendis recursibus hierarchicis optasset, id certo determinabat, sicuti id determinavit circa processus iudiciales (cfr. can. 1481 conlato cum can. 1738).

Cum denique recursus hierarchici negotiis odiosis sint accen-

sendi ac, uti traditum est, odiosa sint restringenda; cumque nulla lex hoc ius statuatur, certo tenendum est quod ius recurrentis accedendi ad omnia acta vel documenta quae Superiori decidenti prostant vindicari non potest, cum nullo legis praescripto statuatur.

Propterea etiam argumentum ad modum confirmationis invocatum, ex novissimo Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium ruit.

6. Pressius medullam quaestionis attingunt quae Promotor Justitiae in relato voto promittit circa “naturam iuridicam recursus hierarchici” quippe quem novit vigen ius canonicum.

Si enim stat quod “quanto maius recursus hierarchici natura causae iuridicalis naturae adsimilatur, tanto plenius ac strictius probatur ius ad rationes et probationes cognoscendas, utpote ex iure defensionis promanans” (ibid. n. 13), semper tamen servanda est ratio distinctionis iter distinctos ordinationes, eo vel magis quod in suo Voto idem Promotor Justitiae habet: “In re-

cursibus hierarchicis enim haud viget contradictorium s.d. plenum, cum recurrenti (vel potius: partibus) haud competat ius defensionis quod in iure processuali habetur" (Votum 20 augusti 1992, n. 17). Quod et Nos tenemus.

Cum tandem assumatur recursus hierarchicos institutos esse ad reparandas iniurias quae per decisionem Superioris iuribus subiectivis inferuntur, consequitur quod, quo minus iura subiectiva offenduntur per huiusmodi decisionem, eo minus id genus recursuum aptum apparet natura sua ad iura subiectiva vindicanda. En unum ex motivis ob quae, uti supra innuimus, via iudicialis et via recursus hierarchici vicissim usurpari nequeunt, quia haec via nempe recursus hierarchici haud apta apparet ad quamlibet superioris decisionem impugnandam; haud raro rectius controversiae per iudicia deciduntur. Qua re etiam statutum can. 1737, par. 1, ex quo recursus hierarchicus proponi potest "propter quodlibet motivum", cum grano salis adhibendum est.

7. Comparatio autem cum iure civili, sive italico sive alius nationis, caute consideranda est, quia Ecclesia societas utique perfecta est, suis institutis instructa ad modum civitatum; ast indoles historica numquam separatim considerari potest ab illa mystica: unde etiam ordinationes ecclesiasticae, quibus accensendum est certo ius canonicum, quo regitur populus Dei, suam habet naturam religiose servandam, post praesertim exacta separatione inter potestatem quam dicunt temporalem et spiritualem.

In decisionibus ferendis praeterea parum indulgendum est disputationibus elegantioribus opinionum: decisio enim super singulos casus pronuntianda est.

8. Patet quod hac in causa non vindicantur iura subiectiva. Nam facultas standi in iudicio partis recurrentis obtinet sive ex propinquitate, sive ex "interesse" circa destinationem bonorum causam dantium: ideoque tantum indirecte, si et quatenus, iura personarum tanguntur. Ideo motivum cognoscendi acta omnia necnon documenta urgeri nequit ac si cuius personae iura coarctaren-

tur, cum praesertim causa ex qua recursus natus est praesertim ininitatur in documentis et adiunctis quae natura sua nota habenda sunt.

Qua re priori sententiae Promotoris Justitiae deputati adstipulamur, iuxta quam nulla lex praecipit, saltem in ordinatione recursus administrativi, ius partium cognoscendi acta omnia ac documenta integra causae, cum praesertim 'legislator quod voluit dixit, quod noluit tacuit'.

9. Bis instanti patrono recurrentis Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae utique diuturno silentio respondit, ita ut, si ius quod cl.mus Patronus recurrentis praetendit revera exstaret, iure meritoque ipse ad can. 57, par. 1 et 2 provocasset; ast statutum illud desideratur.

Nec est neglegendum, prout innuimus, quod negotium circa quod vertit recursus natura sua publici est iuris, ita ut recurrentes fere otiose seu inaniter probationes exquirebant a Dicasterio Se-

dis Apostolicae, quia probatio, in casu, per instrumenta notoria fit: idque satius patet ex Decisione Congregationis diei 13 iulii 1989.

10. Ad alteram partem concordati dubii, nempe violationem legis in decernendo pauca dicenda sunt, cum Nobis tantum de una violatione legis, nullo modo de merito causae videndum est.

Jam vero Promotor Justitiae deputatus in priore voto, prae oculis habitis actis et documentis, necnon scripturis hinc inde allatis, sedulo omnia examinavit ac perpendit, num in decernendo leges violatae fuissent.

Constat vero quod destinatio bonorum, de quibus agitur, incerta semper mansit, varia ob adiuncta, nec documenta allata dubium superare valuerunt, ideoque de mutatione piae voluntatis stricto iure sermo fieri nequit.

Decisio Dicasterii aptis motibus instructa apparet quae desumuntur ex obiectiva conditione iuridica bonorum, minime vero

e documentis quae partem recurrentem latuissent.

Patet ergo quod Congregation pro Instituti vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae leges non violavit in decernendo.

11. Quibus omnibus in iure et in facto sedulo examinatis et cribratis, Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum, pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, dubio proposito respondendum censuit uti respondet:

“Non constat de violatione legis sive in procedendo, sive in decernendo in Decisione lata die 13 iulii 1989 a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae”.

Perspecto art. 101 § 1, Normarum specialium huius Supremi Tribunalis haec statuimus:

1) quoad expensas processus apud hoc Supremum Forum ultra summam iam depositam pars recurrens solvat ulteriorem summam 1.500.000 libellarum italicarum;

2) quoad proventus ill. morum
Patronorum unaquaeque pars
solvat congruum honorarium
pro proprio Patrono.

Haec Sententia cum omnibus
quorum interest communicanda
est, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Su-
premi Tribunalis Signaturae Apo-
stolicae, die 16 ianuarii 1993.

✠ Bernardinus Card. GANTIN
D. Simon Card. LOURDUSAMY
Antonius Maria Card. JAVIERRE

ORTAS

✠ Gilbertus AGUSTONI,
Pro-Praefectus et Ponens

✠ Iosephus MERCECA

✠ Philippus GIANNINI

✠ Aemilius EID

✠ Iulianus HERRANZ

Et notificetur omnibus quorum
interest ad omnes iuris effectus.

Romae, die 19 februarii 1993

✠ Zenon GROCHOLEWSKI
Secretarius

Vincentius CÁRCEL ORTÍ
Cancellariae Moderator